PSALMVS IX.

PRÆCINENTI ALMVTH LABEN,

PSALMVS DAVIDIS.

A

ILlud, על מות לבן, *variè legitur.* R. D. Kimhi *dicit.* Almuth *duas esse dictiones in vnam contractas, vt sonet* Super morte. *Deinde dictionem* Laben, *ab alijs de quodam principe Gentium, ab alijs de stulto Nabal, vt* לבן *sit per inuersionem* נבל *Nabal, quod tamen reijcit: rursus ab alijs de Goliath exponi, ita vt* לבן *legatur per iod,* לבין. *Goliath enim dictum esse* איש הבינים. *Et Chaldæus interpres de Goliath intelligit. Sic enim reddidit:* לשבחא עלמיתיתא דגברא דינפק מבין משיריתא תרשבחתא לדוד. Ad laudandum, super morte viri qui egressus est è medio exercituum: Laudatoria Dauidis. ὑπὲρ τῶν κρυφίων τοῦ υἱοῦ: *id est,* Super absconditis filij: *quem vulgata Latina sequitur. Hieron. legit:* Super morte filij. *Felix Prat.* Super morte insipientis: *intelligens, opinor, de* נבל stulto. *Alij,* iuuentutem filij, *alij* incrementum filij *legunt. Alij non vertunt Ebræas voces, sed intelligunt eas de instrumento quodam musico, vel de initio carminis cuiusdam, ad cuius melodiam Psalmus hic sit cantandus: id quod mihi simplicius videtur. Etenim de Goliath intelligere has voces nequeo, propter versus* 11. *&* 14. *in quibus Sionis fit mentio, cuius inhabitator dicitur Deus, & in cuius portis Propheta omnem Dei laudem decantare proponit: cùm eo tempore quo Goliath per Dauidem est cæsus, Sion adhuc fuerit in manibus Gentium, non Israelitarum. Sed in tanta varietate non modò nostrorum, sed & Ebræorum, eligat sibi quisq; quam sequatur sententiam.*

ARGVMENTVM PSALMI.

PSALMVS hic omnino gratulatorius est, Deumq; ob id celebrans, quòd gentes Israeli inimicas insigni victoria prostrauerit: quales Dauidi contra Philistæos, Amorræos, Moabitas, Syros, &c. multæ sunt diuinitùs concessæ.

Sunt autem affectus huius Psalmi varij. Initiò in laudem diuini nominis prorumpit: deinde virtutem & iudicium eius in prosternendis gentibus celebrat: tertiò hortatur populum Dei ad psallendum Domino: quartò rapitur ad orandum: quintò rursus victoriam contra gentes partam extollit: postremò Psalmum epiphonemate ad Deum contra gentes facto claudit.

VERS. 1. *CElebrabo Dominum in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.*

2. *Lætabor & exultabo in te: psallam nomini tuo altissime.*

3. *Propterea quòd inimici mei conuersi sunt retrorsum: & ceciderunt, & perierunt à facie tua.*

4. *Quoniam exequutus es iudicium meum, & causam meam: sedisti pro tribunali, iudex iustitiæ.* B

LECTIO. *Celebrabo Dominum.*] Ebr. אודה יהוה Græc. ἐξομολογήσομαί σοι κύριε. quem Latina vulgata sequitur legens: *Confitebor tibi Domine.* Hier. *Confitebor Domino.*

Vers. 1.

Vers. 3. *Propterea quòd inimici mei conuersi sunt.*] Ebr. בשובב אויבי אחור: i.e. *In conuertendo inimicos meos retrorsum.* Sic legunt & Græcus, & vulg. Latin. Apparet autem positum illud בשובב, pro בעבור שובב: id est, *propterea quòd conuersi sunt.* Hier. legit: *Cùm ceciderint inimici mei retrorsum.*

Ceciderunt.] Ebr. יכשלו. Græcus, ἀσθενοῦσαι: i.e. *Infirmabuntur.* Hier. *Corruerunt.*

EXPLANATIO. *Celebrabo Dominum.*] Duobus primis versibus æstum cordis sui ad celebrandum Dominum gestientis effundit, cuius vehementiam non solùm hisce verbis, *Celebrabo, narrabo, lætabor, exultabo & psallam:* sed & per ea quòd dicit: *In toto corde meo:* item, *Omnia mirabilia tua:* quod tamen impossibile erat. Sed sic solet animus in laudem DEI accensus. Huc etiam facit mutatio personæ, qua non dicit, *Omnia mirabilia eius:* sed, *Omnia mirabilia tua.* Dicit itaq; *Celebrabo Dominum in toto corde meo:* i.e. Extollam, laudabo & deprædicabo Dominum ex intimis cordis mei affectibus, totis cordis mei viribus, corde pleno, vero, & prorsus ad laudem illius intento. *Narrabo omnia mirabilia tua:* expositio est. Etenim Deum celebrare, extollere & laudare, est mirabilia illius facta narrare & recensere.

Vers. 1. & 2.

Lætabor & exultabo in te. Et hoc pertinet ad conditionem veræ laudis, quo toto corde fiat, vt ex intimo cordis gaudio prorumpat.

Psallam nomini tuo altissime.] Hæc est cordis in Deo gaudentis exultatio & exuberantia, vt nomini Dei altissimi psallat & cantet.

Vers. 3. *Propterea quòd inimici mei.* Iam consequenter subijcit, vnde & hanc ἀξιολογίαν Dei motus sit. *Propterea,* inquit, *quod inimici mei conuersi sunt retrorsum.* His verbis victoriam contra inimicos acceptam breuiter describit: *Conuersi,* vel potiùs *auersi sunt retrorsum, ceciderunt & perierunt.* Quasi ob oculos rem ipsam exponit. At ne videatur hanc suis ipsius virib. tribuere victoriam, addit, *A facie tua.* Non dicit, *A facie mea,* vel *exercitus mei:* sed, *A facie tua.* q.d. Tu restitisti inimicis meis, tu corda illorum fregisti, tu pro nobis pugnasti, tuam, non nostram senserunt potentiam.

Vers. 4. *Quoniam exequutus es iudicium meum.*] Hoc versu iudicio Dei prostrationem hostium tribuit. Ad scribit igitur hostibus iniustitiam, sibi ac populo DEI innocentiam, & Deum inter vtranq; partem iusto iudicio decreuisse ac pronunciasse canit. Dicitur autem pro tribunali sedere Deus, tanquam iustus iudex, & causam suorum tueri, quando supplicium sumit de improbis illorum inimicis. Sic & Germani, quando vehementer improbi ferè præter omnem expectationem cæduntur ac pereunt, dicere solemus, Gott ist im Gericht gesessen.

OBS. V. Principiò notãdus est hic affectus Prophetæ, quòd non in præsenti tantùm gaudet, Deum suum celebrat, mirabilia eius narrat, ac nomini illius psallit: sed ista se porrò facturum canit, dicens: *Celebrabo,*

Vers. 1. & 2.